

Beilagen

1. Peter d'Aigueblanche, Bischof von Hereford, kauft im Auftrag Heinrichs III. eine Krone und Juwelen aus dem früheren Besiße Friedrichs II. und Konrads IV. Neapel 1255, April 14

Nach W. W. Capes, *Charters and records of Hereford Cathedral* (1908), 108—109. Vgl. S. 132 Anm. 3

In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, indictione XIIIa, mensis aprilis die XIIIa, pontificatus domini Alexandri pape IV anno primo, in presencia venerabilis patris domini Octaviani ecclesie sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, nec non et mei Noclecii scriniarii et testium subscriptorum ad hoc specialiter rogatorum et vocatorum: Petrus Scotti Dominici, Gregorius Bernardinus, Iacobus Romei et Rubeus Consilii, cives et mercatores Senenses, pro se ipsis et Scotto Dominici, Loteringo Corradi, Rainerio Citadini, Iacobo de Balso, Bonagro Arduandi, Rainerio domini Orlandi et aliis eorum sociis et concivibus suis vendiderunt de domini pape mandato reverendo domino patri Petro Dei gratia episcopo Herefordensi, nuncio et procuratori domini Henrici Dei gratia regis Anglie illustris et filiorum suorum, dictorum domini regis et filiorum suorum nomine recipienti illa iocalia, que fuerunt Frederici quondam Romani imperatoris et regis Corradi filii sui, videlicet quandam coronam de auro, bucculas et anulos de auro et res alias cum gemmis et lapidibus preciosis, que habuerunt obligata pro ipsorum diversis debitis, in quibus dicti dominus Fredericus et rex Corradus ipsis tenebantur, pro decem milibus unciis auri sinceri ad pondus regni; quas decem mille uncias auri nominati mercatores pro se ipsis et sociis suis predictis confessi sunt et recognoverunt se recepisse et habuisse ab ipso domino episcopo pro predictis domino rege et filiis suis solvente, de quibus dicti mercatores se bene quietos et pacatos vocaverunt, excepcioni non numerate et non solute sibi pecunie auri non ponderati omnino renunciando et, donec prefatus dominus episcopus predicta iocalia ad manus suas habuerit, prefati mercatores ipsorum dominorum episcopi